

R. Ex modo dictis hi homines judicandi sunt : vel cum eodem pravo habitu sine ulla emendatione redeunt , et tunc , post aliqua tentamina , differi debent donec signis sufficientibus ostendant se melius esse dispositos ; vel in eis apparent emendationis signa , quibus prudenter judicatur eosdem vere esse contritos , v. g. , minus frequenter relapsi sunt , diutius post absolutionem perseverarunt , majores conatus adhibuerunt , extraordinariis tentationibus objecti sunt , etc. : et absolvi debent , modo sincere affirmant se firmum habere propositum amplius non peccandi . Conandum est tamen ut ad sacrum tribunal sæpius accedant ; frequens enim confessio efficacius est medium quo hujusmodi peccatores corrigantur . Verumtamen absolutio ipsis denegari non posset , præcise quia semel tantum in anno confiteri volunt .

Quæritur 3^o quandonam confessiones recidivorum iterandæ sint .

R. Confessiones recidivorum judicandæ sunt validæ vel nullæ ex modo quo relapsus contigerunt ; si nulli aut fere nulli adhibiti sunt conatus , reputari debent nullæ atque iterandæ sunt . Validæ , e contra , judicantur si peccatores saltem aliquandiu perseveraverint , et , adhibitis mediis sibi indicatis , ex fragilitate vel ex mutatione propositi relapsi sint , quod ex adjunctis prudenter æstimatur . Iteratio autem confessionum non leviter præscribenda est , ne sacramentum reddatur nimis onerosum .

SECTIO QUINTA. — De agendi ratione confessarii erga eos qui peccata sua negant .

Vel confessarius cognoscit peccata a pœnitente negata per alterius confessionem , vel per viam naturalem .

In priori casu *S. Ligorius* dicit , l. 6 , n. 631 , cum quibusdam aliis , absolutionem non esse concedendam , sed voce submissa aliquid orandum ad negationem ejus occultandam , et sic dimittendum esse pœnitentem ; alii vero contendunt absolutionem negari non posse , quia confessarius notitia per confessionem alterius obtenta nullo modo

uti potest . Ita *Billuart* et alii non pauci , quibus assentimus .

In posteriori casu , id est , si confessarius peccata sui pœnitentis via naturali certo cognoscat , v. g. , quia illum vidit furantem , turpia facientem , audivit blasphemantem , etc. , eum diligenter interrogatum et hæc peccata semper negantem absolvere non debet , ut pote certo indispositum , nisi forte prudens adsit dubium an alteri confessus fuerit , aut justam habeat rationem ea retinendi peccata . Ita *Layman* , *Suarez* , card. *de Lugo* , *Concina* , *Billuart* , *S. Ligorius* et generaliter alii . Si vero ex suspitione tantum vel ex aliorum relatione confessarius id sciat , communiter docent theologi pœnitentem , post diligentem interrogationem , absolvendum esse , quia præsumi potest illum tale peccatum fuisse oblitum , vel alteri confessum , vel habere justam rationem illud tacendi , vel relatores fuisse deceptos ; regula enim generalis est , ut docet *S. Th.* , Quodlib. 1 , art. 12 , credendum esse pœnitenti contra se et pro se dicenti : unde confessarius , post diligentem causæ instructionem , judicare tenetur secundum allegata . Si a pœnitente decipiatur , non peccabit eum absolvendo ; graviter e contra peccaret si , ob præsumptionem malæ fidei , absolutionem injuste ei denegaret .

Attamen si , omnibus perpensis , ex aliorum relationibus certo judicaret pœnitentem peccata quæ obstinate negat vere commisisse et alteri non fuisse confessum , eum absolvere non deberet , quia illum videret certo indispositum .

SECTIO SEXTA. — De agendi ratione confessarii erga moribundos .

Nullum est dubium quin sacerdos ad moribundum vocatus , vel ad eum ex officio accedens , ut pastor et vices ejus gerens , vehementi zelo curare debeat illum ad tremenda Dei judicia præparare et Christo lucrifacere .

Inter moribundos , alii sunt recte dispositi , alii dubii , alii sunt ignari , alii scandalosi et alii sensibus destituti .

1^o Qui recte sunt dispositi , semper absolvi debent , ut patet : recte autem reputantur dispositi qui male quidem vixerunt , sed peccata sua agnoscunt et confitentur , de illis

dolentes ac promittentes se talia nunquam admissuros.

2° Qui dubias tantum habent dispositiones et etiam improbabiles, modo non sint evidenter nullæ, absolvi debent; quia sacramenta sunt propter homines, non vero homines propter sacramenta: in extremitate igitur melius est sacramentum profanationi exponere, quam permittere salutem hominis periclitari. *Ita omnes.* Verum qui peccato suo obstinate adhærent, vel obligationibus certis, v. g., restituendi, se reconciliandi, concubinam ejiciendi, etc., satisfacere nolunt, absolvi non possunt.

3° Qui necessaria necessitate medii ignorant, statim erudiendi sunt, vel saltem, mysteriis dilucide eis propositis, curandum est ut actum fidei eliciant, et aptis interrogationibus obtinendum ut præteritas confessiones quantum possunt iterent.

4° Si agatur de peccatore scandaloso, v. g., bona aliena retinente, in concubinato vel in matrimonio tantum civili vivente, ad enormes usuras commodante, etc., communiter audiri non debet, nisi prius emendationem et debitam satisfactionem promiserit: nam timendum est ne præscriptis confessarii obtemperare nolit, ut frequentius contingit: si semel in confessione auditus fuerit, confessarius sigillo obstrictus sufficienti libertate non pollebit, et ultima sacramenta indigno ministrare cogetur. Hoc autem incommodum vitabit, moribundo de hujusmodi peccatis exterius loquendo. Ergo.

Dicimus *communiter*, quia fieri potest ut prudentia suadeat, habita ratione circumstantiarum, immediatam confessionis auditionem, et talis actus pœnitentis sufficiens appareat scandali reparatio, præsertim si periculum mortis urgeat.

5° Major difficultas est quoad eos qui sensibus destituuntur. In quatuor autem classes dividi possunt; alii signa contritionis dederunt antequam sensibus orbarentur et sacramentum petierunt; alii nulla signa contritionis dederunt, sed christiane vivebant; alii in peccato certe vivebant et nullis indiciis ostenderunt se dolere de præteritis, et alii in actu peccati usum rationis amiserunt.

Certum est 1° eos qui sacramentum petierunt vel signa contritionis exhibuerunt absolvendos esse, licet peccata sua nullo modo confiteri possint, idque constat concil. Arausicano I, Carthag. IV, auctoritate S. Leonis papæ, Ritualis Romani et fere omnium theologorum. Ita expresse *Bened. XIV*, de Synodo diœc., l. 7, c. 15, n. 8.

Communis olim sententia theologorum fuit absolutionem negandam esse iis qui repentino casu oppressi, cognitionem amittunt, etiamsi christiane vixissent, si nulla dent signa contritionis, propter defectum materiæ sensibilis sacramenti, scilicet contritionis et confessionis. Ita inter alios, card. *de Lugo*, *Suarez*, *Layman*, *Natalis Alexander*, *Pontas*, etc. Contra hanc opinionem fortiter insurrexit P. *Morinus*, l. 10, cap. 10, contenditque absolutionem in eo casu impertiendam esse. Multo communius theologi eandem sententiam nunc tuentur, et sequentibus innituntur rationibus. 1° Auctoritate *S. Aug.*, qui l. 1 de Adult. conjug., c. 28 (t. 6, p. 404) docet baptismum conferendum esse catechumenis sensibus destitutis, et deinde addit: « Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ » periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita » sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. »

2° *Ratione.* Defectus materiæ sensibilis est solum fundamentum quo nituntur adversarii; sed dici potest vitam christianam anteaquam, quamdam esse speciem confessionis vel saltem petitionis sacramenti in extremis. Aliunde, fieri potest ut ægrotus nonnullis signis a confessario non perceptis, v. g., suspiriis, motibus alicujus partis corporis, etc., conetur manifestare se absolutionem desiderare; et insuper non omnino certum est actus pœnitentis esse materiam sacramenti Pœnitentiæ. Datur ergo locus dubitandi an existat materia sufficiens: porro tale dubium, etiam tenue, sufficit ut in extremis absolutio conferatur: ergo. Ita, cum multis aliis, *Juénin*, *Tournely*, *P. Antoine*, *Billuart*, *Collet*, *Dens*, *S. Ligorius*, etc. *Bened. XIV* eandem sententiam longius refert eamque approbare videtur, de Synodo diœc., lib. 7, cap. 15, n. 11.

Hinc pariter absolvendus est vir ignotus apud quem indicia catholicitatis inveniuntur, ut liber orationis, corona precatoria, etc. Imo, in regione catholica, eum absolveremus qui nulla hujusmodi haberet signa, quia probabile est eum esse catholicum : secus ageremus in regione omnino hæretica vel infideli, propter rationem oppositam; dici namque non potest hæreticum aut infidelem habitualiter dispositum esse ad cupiendam absolutionem, et fortasse aliquo signo eam postulare. Ergo.

3^o Qui certo male vivebant, sed fidem catholicam adhuc tenebant, similiter absolvi sunt; tum quia fides quam profitebantur signum erat eos esse dispositos ad petendum sacramentum in casu necessitatis; tum quia præsumi potest eos aliquo signo conari desiderium suum actuale manifestare; tum denique quia *S. Aug.* dicit, loco citato, baptizandos esse catechumenos, *qui viventium conjugis copulati, retinent adulterina consortia*, addens : « Quis enim » novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque » ad baptismum statuerat detineri? » Ita expresse *Bil-uart, Dens*, etc.

Qui vero fidem catholicam non profitebantur, ut hæretici, schismatici, apostatæ et increduli manifesti, absolvi non possunt, nisi aliquod exhibuerint signum conversionis: nulla quippe est ratio præsumendi eos absolutionem desiderare.

4^o Deneganda est absolutio iis qui in ipsomet actu peccati, v. g., in ebrietate voluntaria, in duello, etc., sensibus destituuntur, donec aliquo signo dent locum suspicandi ipsos dolere, quia huc usque judicantur indigni. Plures tamen arbitrantur eos absolvendos esse, modo constet fuisse catholicos, quia præsumi potest illos periculum advertentes dolore et dolorem exterius manifestare conari. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 483, plures alios citans, contra *Gonet, Habert, Juérin* et *Concina*. *Dens* autem hanc decisionem limitare videtur ad eos qui uno die aut altero obmutescentes supervivunt. In tali extremitate neque absolventes neque absolutionem negantes condemnare audeamus.

In cunctis his casibus, cum dispositiones poenitentis sint dubiæ, absolutio danda est sub conditione tacita.

SECTIO SEPTIMA.— De agendi ratione confessarii erga scrupulosos.

Scrupuli considerandi sunt ut morbus animi gravis, periculosus et ad infelices exitus sæpe deducens : conscientiam anxietatibus torquent, facultates morales obtundunt, indolem mutant, in desperationem conjiunt impelluntque ad mortem sibi inferendam, ut pluries accidit; vel ad laxandum habenas cunctis vitiis, quod frequenti experientia constat, Sapiens igitur confessarius totus esse debet ut scrupulos nascentes præcaveat, vel natos quamprimum compescat et eradicet.

Unica autem est via eos sedandi atque tollendi, nempe obedientia cæca, constans et universalis. Ita omnes doctores et vitæ spiritualis magistri, inter quos *S. Bernardus*, *S. Antoninus*, *S. Franciscus Salesius*, *S. Philippus Nereus*, *S^a Theresia*, *S. Joannes a Cruce*, *S. Ignatius de Loyola*, illustris *Gerson* et omnes theologo. Unde scrupulosus vel ad scrupulos tendens nullo timore angi debet nisi timore non plene obediendi, propter periculum cui se exponeret. *S. Philippus Nereus* affirmabat eum qui paret confessario, securum esse de non reddenda ratione actionum suarum; *S. Joannes a Cruce* dicebat, e contra, dictis confessarii non obtemperare, superbiam esse et fidei inobservantiam.

Confessarius igitur conetur poenitenti suo persuadere 1^o plenam habendam esse fiduciam in merita Christi et in patrocinium sanctissimæ Matris ejus; 2^o consilia Dei ipsiusque judicia non esse scrutanda; 3^o eum viscera patris tenerrimi erga nos habere, atque salutem nostram velle : nos idcirco filios obsequentissimos erga ipsum esse oportere; 4^o plenam non quærendam esse certitudinem de bonitate actionum nostrarum in se, sed moralem, quæ ex judicio prudentis confessarii noscitur sufficere; 5^o etiamsi confessarius erraret in præcipiendo, poenitentem non erraturum in obediendo; 6^o consortium scrupulosorum esse fugiendum; 7^o diversos doctores aut confessarios non

esse passim consulendos; 3° a lectione librorum nimia severitati faventium ipsis abstinendum.

Præcipua scrupulorum objecta sunt dubia circa fidem, malæ cogitationes contra castitatem aut adversus charitatem, integritas confessionis, validitas confessionum præteritarum et timor ne in omnibus peccetur.

1° Expendere debet confessarius an pœnitens de veritate religionis in genere, aut de veritate alicujus dogmatis in particulari reipsa dubitet, an vero anxietatibus exagitetur sine ulla ratione positiva: in priori casu, solutis per ordinem objectis, lucide proponenda est veritas cum argumentis ad producendam convictionem magis idoneis, in posteriori autem casu, præscribendum est pœnitenti ut dubia de quibus queritur, contemnat, rationes convictionis non exquirat, officia proprii status christiane impleat, et securus maneat.

2° Qui cogitationibus adversus castitatem aut charitatem vexantur interrogandi sunt an malum sibi interius representatum, data occasione, facere vellent: si incunctanter respondeant quod nollent, et revera caste vivant aut nihil contra charitatem admittant, judicandi sunt in hoc puncto scrupulosi; tunc exigendum est ab eis ut tales cogitationes tanquam mera imaginationis deliria habeant, circa illas conscientiam non examinent, nec de illis se accusent.

3° Iis qui semper timent ne peccata sufficienter non aperiant, ostendendum est confessiones nunquam esse nullas defectu integritatis, quando pœnitens nihil vult occultare; sola peccata mortalia et circumstantias mortales esse materiam sacramenti necessariam, a cujus declaratione ignorantia, bona fides et præceptum confessarii excusare possunt. Ab hujusmodi personis quandoque exigendum est ut seipsas non accusent, sed quæsitis confessarii duntaxat breviter respondeant.

4° Iis autem qui circa validitatem præteritarum confessionum anxii sunt, vel quia omnia peccata et circumstantias eorum non satis explicuerunt, vel quia dolore requisito caruerunt, post interrogationes necessarias ad eos recte cognoscendos, prohibendum est, maxime si unam

aut plures confessiones generales jam fecerint, ne ullum de præteritis confessionibus dicant verbum, nisi tam certo judicent se peccatum mortale admisisse et non declarasse, ut hoc utrumque cum juramento affirmare possint. Sciunt quod, si forte aliquod peccatum mortale non declaraverint, aut si quædam vel omnes confessiones eorum præteritæ sint nullæ defectu doloris, nihilominus in præsentī confessione justificandi sunt, modo vere doleant; quid igitur eos perturbare posset?

5° Suadendum est iis qui pavent peccare in omni re quam faciunt, ut libere agant sicut cæteri solent agere, et peccatum non formident quoties evidenter non advertunt rem esse malam.

Benigne tractandi sunt scrupulosi, modo parent: « Sed » circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhibendus; si enim hanc obedientiæ anchoram amittunt, certum incurrunt naufragium; nam aut amentes evadent, » aut habenas in vitia relaxabunt, » inquit *S. Ligorius*, Praxis confess. n. 58.

Quidam sunt scrupulosi sub aliquo respectu qui sub aliis respectibus graviter delinquant; fortiter increpandi sunt, et a sacramentis removendi, donec resipiscant et emendationem sincere promittant. Qui vero timorati sunt conscientiæ et præ metu sacram Eucharistiam accipere non audent, aliquando jubendi sunt virtute obedientiæ ad illam accedere, vel post absolutionem, vel etiam sine absolutione.

SECTIO OCTAVA. — De agendi ratione confessarii erga personas devotas.

Caveat confessarius ne personas ad devotionem vocatas verbis minus discretis, negligentia, impatientia aut frigiditate a proposito avertat, vel retardet; facile graviter peccaret. Eas, e contra, honoret, adjuvet et velut pretiosiores gregis Christi portionem habeat. Attamen quamlibet familiaritatem externam cum illis sedulo fugiat; et si advertat aliquam sibi naturaliter adhærere, eam ad alium confessarium statim remittat.

Curare debet ut quæ sacram synaxim frequenter accedere dignæ sunt, singulis hebdomadis aut saltem quindenis confiteantur et absolutionem ordinarie suscipiant.

Dicimus *ordinarie*; quia non necesse est ut singulis vicibus absolvantur; pii enim confessarii benedictionem tantum eis impertiunt easque ad communionem nihilominus admittunt, quando vident illas potius naturales defectus quam peccata venialia declarare; alii vero non minus pii gratiam sacramentalem illis procurare volentes, eas semper absolvunt, modo peccata vitæ antea certa saltem in genere confiteantur, dicendo, v. g.: De omnibus peccatis totius vitæ meæ, et præsertim de iis quæ contra talem vel talem virtutem commisi, accuso me, de illis veniam a Deo postulo, et a te, Pater, pœnitentiam et absolutionem.

Juvat ista methodo in frequentibus confessionibus semper uti, etiam quando peccata certo venialia declarantur, ut materia sacramenti assecuretur; timendum est enim ne peccata quæ declarantur sint dubia, aut ne insufficientes de illis habeatur contritio: contra vero si gravia peccata jam remissa declarantur et actualis eliciatur contritio circa illa, certa est materia, et gratia sacramentalis confertur. Ergo.

Si quis de venialibus quotidianis, v. g., de impatientiis, intemperantiis, distractionibus aliisque similibus confiteatur, spectandum est an aliquando vim sibi intulerit ut passionem superaret, an vero sine resistentia relapsus fuerit: in priori casu, potius ex humana fragilitate quam ex defectu propositi peccare judicatur, et absolvi potest; in posteriori vero casu, proposito caret et sufficientem contritionem non habet: igitur absolvi non potest, nisi alia declaret peccata de quibus vere doleat.

Cavere debet confessarius ne pœnitentibus suis, præsertim feminis, prohibeat ad alium confessarium accedere; et si resciverit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse, nisi ageretur de scrupulosis qui periculose ad alios accederent propter varietatem decisionum. Non facile autem ipse suscipiat eos qui confessarium mutare volunt: nam

talis mutatio, aliquando necessaria, frequenter ex levitate aut curiositate, vel etiam ex prava intentione procedit, ut pluries, nobis scientibus, accidit.

Summa etiam utatur prudentia ne a falsis devotis decipiatur; superbas, morosas, de aliis detrahentes, curam familiæ negligentes, etc., cum aliorum scandalo, ad mensam sacram frequenter non admittat. Vera enim devotio frenum cunctis vitiis imponit, et omnia proprii status officia fideliter adimpleri procurat.

SECTIO NONA. — De agendi ratione confessarii erga eos quos male absolvit.

Triplex contingere potest defectus in absolutione, scilicet essentialis, accidentalis proximo non nocens, et alter proximo nocens.

1° Si ob defectum essentialem absolutio fuerit nulla, confessarius tenetur pro posse hunc defectum corrigere, quia pœnitens alioquin in re gravi deciperetur. Vel autem prævidet pœnitentem ad se mox reversurum, et tunc eum exspectabit ut moneat; vel talem non habet prævisionem, et eum extra confessionem monere debet, prius petita et obtenta licentia illi de re ad confessionem pertinente loquendi. Si autem judicet se hujusmodi licentiam prudenter petere non posse, rem misericordiæ Dei committat et de culpa, si quam admiserit, doleat; ad nihil ultra tenetur.

Si vero adverteret se male absolvisse pœnitentem adhuc moraliter præsentem, v. g., in ecclesia non longe orantem, et rite dispositum, illum secreto absolvere posset et deberet.

2° Si contigerit defectus non essentialis nec cum damno proximi conjunctus, v. g., si confessarius omiserit interrogare de numero et circumstantiis peccatorum, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad agendam pœnitentiam de peccato. Si pœnitens redeat, defectum in alia confessione corrigere poterit: si non redeat, eum extra confessionem, petita licentia, admonere non tenetur, nisi positive eum deceperit, dicendo, v. g., non declarandas esse circumstantias speciem peccati mutantes, non tollendam esse

occasionem proximam, vel ita tacuerit ut pœnitens intellexerit se tollere occasionem, vel restituere, etc., non teneri.

3^o Si defectus tertiæ personæ noceat, v. g., si confessarius omiserit restitutionem injungere, pœnitentem modo superius exposito admonere tenetur; et si positive ex malitia, vel ex ignorantia culpabili aut negligentia gravi affirmaverit non esse restituendum, ipse restituere tenetur, nisi pœnitentem efficaciter admonuerit.

§ III. — De obligationibus confessarii quæ spectant ad sigillum.

1^o Nomine sigilli, intelligitur obligatio celandi ea quæ ex sacramentali confessione accepta sunt, sumpta metaphora a sigillo quo ea obsignamus quæ volumus esse secreta. Dicemus 1^o de obligatione servandi sigillum; 2^o de iis quæ cadunt sub sigillo; et 3^o de iis qui tenentur ad sigillum.

SECTIO PRIMA. — De obligatione servandi sigillum.

PROPOSITIO.

Strictissima est obligatio inviolabiliter servandi sigillum confessionis.

Prob. Quod jure naturali, divino et ecclesiastico præcipitur strictissimæ est obligationis: atqui tale est sigillum confessionis.

1^o *Jure naturali præcipitur.* Jus enim naturale prohibet ne diffametur proximus, violetur religio secreti, sacramentum ludibrio et odio exponatur: hæc tamen omnia faceret sacerdos sigillum confessionis violando: ergo.

2^o *Jure divino.* Qui enim præcipit finem, præcipit media ad illum assequendum necessaria: porro Christus præcipit confessionem; confessio autem impossibilis est nisi altissimum servetur secretum circa ea quæ declarantur: ergo.

3^o *Jure ecclesiastico.* Nam in Decreto, causa 33, quæstione 3, dist. 6, de Penit. cap. 2, sic habetur: « Sacerdos » ante omnia caveat ne de his quæ ei confitentur peccata,

» alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, » quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, » deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus » peregrinando pergat. »

Concil. Lateran. IV, can. 21, pœnam depositionis in violatores sigilli renovavit, sed perpetuam peregrinationem in perpetuam pœnitentiam in arctiori monasterio agendam commutavit; Innocentius III non dubitavit dicere sacerdotem peccatum apud se depositum revelantem, gravius peccare quam hominem illud committentem. Ergo.

Diximus 1^o *strictissima obligatio*; 1^o quia triplici fundatur præcepto, et violatio ejus triplicem complecteretur malitiam, unam contra famam proximi, secundam contra fidelitatem in pacto tacito promissam, et tertiam contra reverentiam sacramento debitam; 2^o quia nulla dispensatione nec summi Pontificis, nec concilii generalis tolli potest; 3^o quia in nullo prorsus casu, et propter nullum finem, quantumvis bonum, honestum, utilem aut necessarium, violari potest, nec pro tuenda confessarii vita, nec pro bono temporali aut spirituali ipsius pœnitentis, nec pro servanda republica, fide aut Ecclesia: nam existentia sacramenti Pœnitentiæ, ac consequenter religionis, ab inviolabilitate sigilli pendet; hoc autem bonum tantum est ut nullo alteri comparari possit.

Omnes fatentur transgressionem hujusce obligationis levitatem materiæ non admittere: revelatio igitur minimæ culpæ peccatum esset mortale.

Diximus 2^o *inviolabiliter servandi*, id est 1^o nec verbo, nec facto, nec signo, nec scripto, nec ullo alio modo significandi ea quæ audita sunt in confessione; 2^o neque ante mortem, neque post mortem pœnitentis, neque ipsi, extra tribunal, neque aliis, quamvis ab ipso, vel alia via culpam in confessione declaratam rescivissent, revelandi; 3^o neque directe et expresse, neque indirecte, aliquid faciendo aut omitiendo unde detegatur vel in suspicionem veniat confessio pœnitentis, vel unde ipse judicare vel suspicari possit confessarium iis in confessione acceptis uti, etc.

Hinc 1^o qui duos audivit fratres, dicere non potest unum habere tantum venialia, quia indirecte revelaret alterum habere mortalia.

Hinc 2^o contra inviolabilitatem sigilli peccaret qui diceret, v. g. : Prima persona quam audivi, tale declaravit peccatum, quia periculo eam manifestandi per aliorum conjecturas se exponeret. Item non licet dicere peccata extraordinaria, sive genere, sive numero, sive circumstantiis, in tali communitate, vel in tali parochia esse consueti; nam inde aliqua infamia communitati aut parochiæ nascitur.

Hinc 3^o duo confessarii qui eandem audierunt personam idem peccatum declarantem, de illo inter se colloqui non possunt; nam peccatum istud sciunt tantum sacramentaliter.

Hinc 4^o qui interrogatur de auditis in confessione, affirmare et jurare potest, etiam coram justitia, se ea nescire; nescit quippe ut homo, cum ea didicerit tantum ut vices Christi gerens: si vero interrogaretur an talis persona hoc vel illud peccatum confessa fuerit, neque affirmare, neque negare potest, sed generaliter dicere se nescire, vel hanc quaestionem esse impiam et ad illam nihil respondendum esse.

Quæritur ex qua confessione oriatur obligatio sigilli?

R. Ex omni et sola confessione sacramentali, siquidem ipsius est proprietas. Illa autem confessio est sacramentalis quæ fit in ordine ad sacramentum, sive absolutio impertiatur, sive non.

Unde 1^o confessio quæ scienter fit laico vel sacerdoti jurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis: secus dicendum si sacerdos credatur approbatus, quia confessio ex parte pœnitentis vere est sacramentalis. 2^o Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum protrahendi, aliquid ab eo extorquendi, etc., in ordine ad sacramentum se non accusat: igitur confessio ejus obligationem sigilli non imponit. Vix tamen confessarius ea revelare posset quæ sic agnovisset, propter periculum ne

haberetur ut violator sigilli. 3^o E contra, qui conscientiam confessario aperit, sine voluntate absolutionem suscipiendi, sed ut consilium obtineat, ut præcepto Ecclesiæ vel mandato superioris aliquo modo satisfaciat, confessionem obligationem sigilli inducentem facit. Ita *Sylvius* et *Billuart*. Hinc schedula confessionis hujusmodi pœnitentibus negari non potest; solum enim factum confessionis exprimere debet confessarius, sive absolutio concessa fuerit, sive non, his circiter verbis: *Ego infra scriptus testor N. peccata sua apud me deposuisse, die, etc.* 4^o Quod sub sigillo confessionis, extra confessionem, acceptum est, sub sigillo reipsa non cadit, siquidem non fit confessio sacramentalis: est igitur duntaxat sub secreto naturali.

SECTIO SECUNDA. — De iis quæ sub sigillo cadunt.

Sub sigillo inviolabiliter concluduntur directe vel indirecte peccata mortalia et venialia, eorum objecta et circumstantiæ, pœnitentia imposita, defectus naturales, et generatim quicquid ex sola confessione cognitum, pœnitenti aliquo sensu molestum esset; nisi enim hæc omnia inviolabiliter custodirentur secreta, sacramentum redderetur odiosum.

1^o Omnia peccata mortalia tam in genere quam in specie: unde qui diceret aliquem in censuram incidisse, casum reservatum habuisse, aliquid grave declarasse, sigillum frangeret. Item, si audito gravi peccato in tribunali, exclamaret vel ingemisceret, aliis audientibus.

2^o Peccata venialia, tum in genere, tum in specie; nam obligatio sigilli levitatem materiæ non patitur, *ut diximus*. Quidam tamen docent revelationem non esse, si confessarius solummodo dicat de pœnitente: Venialia tantum confessus est; quia eo ipso quod confiteatur, saltem habet peccatum veniale; sed hoc periculosum est et caute vitandum.

3^o Objecta peccatorum; unde si pœnitens declaret se male locutum esse de tali puella gravida, confessarius hanc circumstantiam manifestando, etiamsi aliis

publice nota esset, contra sigillum ageret : quoad per solam confessionem illam cognoscit, tacere tenetur. Hinc eos *Billuart* affirmat increpandos esse qui, orto scandalo publico, dicunt, ut frequens est, aures suas in confessionali continuo vexari allocutionibus contra istud peccatum.

4^o Complices juste vel injuste in confessione detecti, et circumstantiæ etiam non necessariae, sed quas pœnitens errore putavit esse declarandas. Alia vero in tribunali narrata, sed ad confessionem non pertinentia, sub sigillo non cadunt.

5^o Pœnitentia injuncta; si enim gravis sit, qualis pro mortali peccato solet imponi, revelatio illius pœnitentem infamaret et sacramentum odiosum redderet. Similiter nec pœnitentis indispositionem, nec absolutionis denegationem revelare licet.

6^o Defectus naturales, ut illegitimitas natalium, negotiorum domesticorum implicatio et quidquid pœnitenti molestum est, vel tale ab ipso reputatur et ex sola confessione cognoscitur, sub sigillo obsignatur : unde qui ex confessione novit famulam furare pecuniam, arcam obserare non potest; qui didicit mortem sibi strui, nihil facere aut omittere potest quod molestum pœnitenti esse posset, nisi ab eo licentiam obtinisset.

Cum sigillum in favorem pœnitentis institutum fuerit, narrare quæ ipsi molesta esse nequeunt, fractio sigilli non est; ea ratione excusantur magni viri confessarii qui testati sunt se nihil grave in tota vita alicujus sancti invenisse, quemadmodum fecit *Bellarminus* relative ad sanctum Aloysium a Gonzaga. Nec tamen, extra necessitatem, sic loquendum est, propter periculum revelationis indirectæ respectu aliorum, de quibus tale testimonium reddi non posset, et ne aliqua inde suboriatur suspicio quod sigillum aliquando violari possit.

Idecirco caveant confessarii ne passim inter se loquantur, absque necessitate, de rebus ad confessionem pertinentibus, et nunquam id faciant coram laicis, qui in hac materia facile scandalizantur.

SECTIO TERTIA. — De iis qui ad sigillum obligantur.

Hac obligatione obstringuntur primario confessarius, et secundario ii omnes qui confessionis sacramentalis fiunt participes : hoc quippe ex institutione sacramenti sequitur. Hinc ad servandum illud secretum tenentur :

1^o Non solum verus confessarius, sed et fictus, ut laicus fingens se esse sacerdotem, et confessionem excipiens : nam confessio ex parte pœnitentis fit in ordine ad sacramentum;

2^o Interpres cum pœnitente et confessario in ipsamet confessione communicans, et qui peccata rudis ea dictantis in ordine ad confessionem scribunt, si pœnitens id faciat ex quadam necessitate, non vero ex libera electione; quo in casu scribentes ex obligatione naturali tantum ad secretum tenerentur;

3^o Qui peccata alicujus se accusantis voluntarie vel involuntarie audivit;

4^o Ii quibus revelatio confessionis facta fuisset, sive cum licentia pœnitentis, sive quolibet alio modo, etiamsi notitia ad innumeros pervenisset, quia cum onere sibi annexo sic pervadit;

5^o Juxta multos, qui industria vel casu legit scriptum peccata in ordine ad confessionem descripta continens, quia velut instrumentum confessionis sacramentalis habetur. Hic eadem admittenda est restrictio ac in numero 2^o;

6^o Confessarius cui pœnitens de rebus ad confessiones suas attinentibus, extra confessionem, loquitur : non vero alii, sive laici sive sacerdotes, quibus fideles res conscientiae ad quærendam consolationem vel ad petenda consilia aperiunt; tunc enim nullus est respectus ad confessionem sacramentalem; igitur solum naturale secretum debetur : at si pœnitens eos in ordine ad confessionem consuleret, petendo, v. g., modum hæc vel illa peccata declarandi, quidam volunt inde procreari obligationem sigilli : sic *P. Antoine, Concina, Collet* et *Billuart*, contra multos alios qui contendunt ibi solam adesse obligationem naturalem.

Quæritur 1.º an ipse pœnitens obligatione sigilli teneatur.

R. Negative. Nam sigillum in ipsius favorem fuit institutum : in tantum igitur ad secretum naturale tenetur, in quantum seipsum infamare, vel cum detrimento confessarii aut sacramenti loqui non debet.

Quæritur 2.º an confessarius quandoque loqui possit cum pœnitente de ipsius confessione.

R. Potest in tribunali Pœnitentiæ, sed discrete, ne illum offendat : at extra sacrum tribunal, ne ullum quidem verbum dicere potest absque pœnitentis licentia. Ex licentia autem ipsius spontanea et plene libera, loqui potest de confessione ejus, non solum cum ipso, sed et cum alio, dummodo fines licentiæ non excedat. Notandum quippe est hanc licentiam a sola voluntate pœnitentis pendere, et ideo limitari vel ad nutum revocari posse.

Quæritur 3.º an confessarius aliquando uti possit notitia ex confessione accepta.

R. 1.º. Si rem aliunde quam per confessionem noscat, ea sub hoc respectu uti potest, dicendo se eam vidisse, vel tali aut tali via cognovisse. Si vero per solam confessionem eam cognoscat, nunquam ea notitia uti potest, si subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut gravaminis realis aut æstimati pœnitenti vel alteri advenientis : hoc ex natura sigilli sequitur.

Hinc superior cognitione per confessionem obtenta uti non potest ad exercendos actus pœnitenti vel alteri ingratos, v. g., ut vultum austeriorem ei ostendat, durius eum alloquatur, colloquium ejus fugiat aut ægre ferat, licentiam exeundi ei recuset, vel suffragium neget, eum ad ordines, ad officium vel ad pastorum non promoveat, ut res suas diligentius servet, seras mutet, claves apud se custodiat, fenestram claudat, etc. Unde Clemens VIII, decreto diei 26 maii, anni 1594, mandavit ut, « tam superioriores pro tempore existentes quam confessarii qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem utantur. »

R. 2.º. Si nullum sit periculum revelationis aut gravaminis, sive pœnitenti, sive alteri, scientia ex confessione hausta uti licitum est; quia tunc nihil est quod reverentiæ sacramento debitæ adversetur, vel pœnitenti obesse possit. Unde confessarii notitia per confessionem accepta uti possunt ad orandum pro pœnitentibus, ad studendum, ad consulendum, ad sibi invigilandum ne in similes casus labantur, ad benignius eos suscipiendos, ad speciales gratias eis concedendas; in hac enim agendi ratione nihil sacramentum reddit odiosum, nec gravamen imponit pœnitenti aut alteri.

CAPUT OCTAVUM.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

Præcipuus hujus sacramenti effectus est remissio peccatorum mortalium et venialium, sive quoad culpam, sive quoad reatum pœnæ æternæ, non semper remissa pœna temporali : talem ex natura sua habere effectum probavimus.

Certum est insuper illud producere gratiam sacramentalem sibi propriam, quæ duo importat, scilicet 1.º gratiam sanctificantem ex se peccata remittentem, et 2.º jus gratias speciales ad perseverandum necessarias suscipiendi. Hæc propositio, ab omnibus theologis admissa, constat tum ex Tractatu *de Sacramentis in genere*, tum ex dictis in præsentis Tractatu : peccata enim remitti non possunt nisi per effusionem gratiæ sanctificantis in animam.

Duo nunc supersunt paucis verbis expendenda, videlicet 1.º an peccata remissa per lapsum in novum peccatum redeant, et 2.º an merita ante peccatum acquisita, per sacramentum Pœnitentiæ reviviscant.